

*h. II f. 12*





Super Aduentu Cæsaris C A R O L I V.  
D. Iustini Gobleri Goarini, Carmen  
gratulatorium.

Eiusdem de Bello in T V R C A M su-  
mendo, Exhortatorium,

Epithalamion item, super Connubio Ernesti  
Comitis ab H E N N E N B E R G, &  
Elissæ Principis B R V N-  
S V I C E N S I S.

Anno Christi M. D. XLIII.





Iustinus de Cæsare C A R A L O V.

Quem temere è uiuis subductum liuor aiebat,  
Expectate diu C A R O L E diue uenis,  
Germani incolumem fausto te numine gaudent  
Seruatum: quare nunc sile liuor iners.  
Idem sis Cæsar, tamen es mutatus ab illo,  
Gandauij nuper qui mihi uifus eras.  
Scilicet heu terris multum iactatus & alto,  
Actua perpeſſa est tristia damna ratis.  
Viue, tuosq; precor cunctis sis uictor in hostes,  
Gensq; maligna armis cedat ubiq; tuis.

In Aduentum Diui C A R O L I V.  
Imperatoris Acclamatio Doctoris Iu  
stini Gobleri Goarini I V-  
R E C O N S U L T I.

O quibus excipiet te nunc Germania uerbis?  
O quam dilectus Carole diue redis?  
Nunc erit, heu longo fuerat quæ tempore discors,  
Auspicijs concors Teutona terra tuis.  
Inuida te terris sublatum turba ferebat:  
Dixi, mentiris Zoile, uiuit adhuc.  
Viuit adhuc, tibi si rumpantur ut ilia Codro,  
Viuit adhuc, audis: plus quoq; uiuet adhuc.  
Ergo tuos iterum nunc fortiter ibis in hostes,  
Vnde tibi multus Diue triumphus erit.  
At tu Galle tuis opibus uanissime turgens,  
Cæsaris inuicti robore fracte cades.

a ij



Irridere Aquilam cessabis, denique uictrix,  
Te simul & pullos deuoret illa tuos.  
Turcicus in nostras furor haud grassabitur oras,  
Et Marte & cœptis Carole diue tuis:  
Degener at fugiet nunquam redditurus ad Istri  
Barbarus aduentu Cæsar is hostis aquas.  
Ergo te incolumem nobis pia numina seruent,  
Et dent ut facilis undique uictor eas.

De Bello suscipiendo contra T V R C A M,  
ad G E R M A N O S Exhortatio  
Doctoris Iustini Gobleri Goari-  
ni, I V R E C O N-  
S V L T I.

Cessatum satis est, nunc nunc exurgite ciues,  
Ferte laboranti suppetias patriæ.  
Imperium si quo Germanum tempore cura  
Vnquam habuit, summa nunc habet illud opus.  
Cessatum satis est ciues, iam Pannonas acer  
In uestro pulsat limine Turca fores.  
Non est temnendus hostis, mihi credite, cuius  
Cognita iam pridem uis uiolenta fuit,  
Germanis saeuo domitis qui Marte minatur  
Ferrea captura uincula ferre manu.  
Dedecoris si uos pudet ullius, ut pudet omnis,  
Non patriam quisquam deseruisse uelit.  
Amplius haud proprio defœdet sanguine dextras,  
Bellaque Ciuli mota furore gerat.

Sed FER DIN A ND V M, & fratrem meliora monentes,  
Audire Imperij culmina tanta decet.  
Si uitam retinere placet, patriamq; tueri,  
Extremam & lapsis addere rebus opem:  
Vertite in immanes felici numine Turcas,  
Qui modo Pannonicis gentibus arma parant.  
Rursus & Austriacas bellum meditantur ad oras  
Marte subacturi Teutona Regna suo.  
Ergo alacres hosti uenienti occurrite ciues,  
Ante fores uestras qui modò dirus adest.  
Dirus adest, fortis non non concedite ciues  
Vt ferat externum Teutona terra iugum.  
Quid: iuga non tantum ueniens seruilia uestris,  
Sed gladium iugulis impositurus erat.  
Quare agite immanem de uestris sedibus hostem  
In sua pugnaces stringite colla manus.  
Turcia GERMANAS nunc sentiat impia uiires,  
Cæsareumq; ferat Turcia capta iugum.  
Nec libeat uobis cessare, sed arma parate,  
Arma quibus tandem Turca, Getæq; cadant.

Illustris ac Generosi Principiis Georgij Ernesti,  
Comitis ac Domini ab HENNE NBERG &c.  
& illustris Elyssæ, Ducis B R V N S V I C E N-  
S I S, & Luneburgensis &c. E P I T H A L A-  
M I O N, Doctore Iustino Goblero Goarino,  
IV RE CONS VLT O Autore.

Cum iam connubij tempus felicibus adsit,  
Ettibi nunc resonet tota Hymenee domus:

a ij

**V**t lætæ surgant ista ad solemnia plebes,  
Quæ resonent clarum compare uoce thorum:  
**V**nus me ex omni numero inter gaudia tanta  
Quamlibet absentem non siluisse decet,  
Quin ego felici grata bōr carmine tædæ,  
Exoptans thalamo sidera fausta nouo:  
**A**ctibi prælustri sposo, illustriq; puellæ  
Mollia pro ueteri carmina more canam.  
**E**rgo me uestra Musæ bonitate iuuetis,  
Vt ferre hæc digno carmine festa queam.  
**A**rx sua contiguas sublimis spectat in undas,  
Dicta, iacens inter flumina, Munda, duo.  
**A**rx simul & urbs hæc non ampla, sed alta, sub ipsis  
Montibus & syluis undiq; cincta, sita est.  
Claruit hic quondam Brunsvigum stemmate princeps  
Ericus patriæ, militiæq; decus:  
**E**xtera magnanimum quem belli & Teutona tellus  
Vidit ouans animis, læticiaq; Ducem.  
Belgæ uictorem de se dixerit feroce,  
Indomitas Phrysi contudit orbis opes.  
Ipsi auxilio seruatus Cæsar ab ictu  
Quo læsus quondam Maximilianus erat,  
Nuper Marchiacæ cui foedere iuncta iugali  
Grande decus gentis Elisabeta fuit.  
Quæ pietate etiam sanctas Heroidas æquat,  
Huius & eximium temporis una decus.  
Nec probitate sua prior est aut Hectoris uxor,  
Aut comes extincto Laodameia uiro.  
**H**ac modo pulchra uenit tibi uirgo ab origine sposo

Ernestē ad thalamos edita Elyssā tuos.  
Filia nec forma matri, nec moribus impar,  
Coniuge nec quā te dignior ulla fuit.  
Quem licet exornet uetus & generosa propago  
Hennenbergiadum nobile stemma Ducum,  
Diceris & gestis belli certamine rebus  
Nuper in immanes fortiter issē Getas.  
Non minor hæc sponso tamen est te gentis alumna  
Brunsuige, proauis filia clara suis.  
Ista marita tibi dulces pulcherrima natos,  
Mille uoluptates, gaudia mille dabit,  
Quām nunc læta tuis gaudebit Francia tædis,  
Spargentur nitidis atria tota rosis.  
Scilicet optatæ monstrant sua gaudia sponsæ,  
Nobilitas omnis, fœmineus & chorus,  
Hæc ubi iam coram licuisset cernere festa,  
Laudasse numeris aptius ista meis.  
Ergo precor, rectum qui primus seuit amorem  
Cordibus humanis, fœdera sacra, Deus,  
Quicq; pio iunxit iuuenilia corpora nexu,  
Is iungat stabili pectora uestra fide.  
Vt pater ingenuæ prolis sis sponse Georgi,  
Postquè suos menses mater Elyssā noua.  
Atq; ita uos liceat longos benē uiuere in annos,  
Multaq; concordis gaudia ferre thori.

OK 74 2091

X22A2M7


m. 2



# Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres



Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
Black

CAROLI V.  
arini, Carmen  
ium.

TURCAM su-  
ortatorium,

per Connubio Ernesti  
NENBERG, &  
is BRVN-  
NSIS.

M. D. XLIII.

THECA  
AVIANA

